Salutem à Deo ter Opt. Max. perpetuamq; felicitatem.

Nobilissime Domine

Libellum hunc præsentem Tuæ Nobilitati ipse offerre decreveram nisi subito varia cogitantem adversa valetudo deprehendisset. Uxorem itaq; meam mitto, quæ opusculum hoc, quod Celeberrimo Nomini tuo, more pro recepto, inscripsi, offert. Imitaturus illum rusticum, qui cum aliud nihil haberet, præterfluentis rivi guttas manu subito haustas Domino suo obtulisse dicitur. Quod reliquum est, non est, quod calamitatem meam prolixè ob oculos ponam. Nosti, Amplissime Mecœnas, vicissitudinem, quâ nascentes subimus mortales; Et quâ ita iactamur, ut in hac vita nihil certius sit, quam ipsa incertitudo. Nosti Germaniæ miseriam, quæ ita grassatur, ut non incolam pagi, non Cultorem agri habeant. Ministerio functus ego et acerbum exilij iugum subire coactus Leidæ promotionem expectans ago. Intereà sumptibus ad vitæ humanæ defensionem necessarijs destitutus, cum Magnorum opem implorare cogar, ad Te, quoq; Nobilissime Domine, supplices manus tendo etiam atq; etiam rogitans, ut rebus meis penuriâ periclitantibus subsidium quoddam contribuere velis. Altissimus tuam liberalitatem suâ divinâ compensabit munificentiâ. Quem ego ardentibus efflagitabo precibus, ut Te, Tuosq; ab omnibus malis protegere velit, et vindicare.

T. Nobilit. et Magn.
humillimus,

Petrus Reitenbach,
in Eccl. olim Dessav.
V.D. Minister, pt. exul.

© British Library
Add MS 22953, f. 199-200
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3957a

© British Library
Add MS 22953, f. 199-200
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3957a

[illegible]
No 128

© British Library
Add MS 22953, f. 199-200
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3957a

Illustri ac Magnifico Viro Domino
D. de Zulichem, Gubernatori Bura,
Domino ac Mecænati meo Amplissimo
ac æternum honorando.

Subinissè

© British Library
Add MS 22953, f. 199-200
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3957a